

dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem. Et statim subdit: Et omnem creaturam, quae in caelo est, & super terram, & sub terra, & quae sunt in mari, & quae in eo: omnes audiri, dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor & gloria, &c. Et hic sermo refertur ad humanitatem, ut notant communiter Patres. Andreas Caesareus Episcopus, Aretas, Primasius, Ansbertus, & alij. Et aperte patet ex illo verbo: Agnus, qui occisus est. In humanitate Dominus passus, & sustinuit mortem. Sed grave hic insurgit dubium: Cur, dum Christus Dominus laudibus extollitur ratione divinitatis, quae cuncta creata sunt, viginti quatuor seniores gloriam decantant: & dum Agnus occisus ob suam humanitatem, in qua supportavit mortem, & passionem, acclamatur, non solum adstant seniores, & millia millium Angelorum, sed etiam omnis creatura, quae est in caelo, quae in terra, & sub terra, atque in mari, factis acclamationibus Domini excellentias innotant. Agnus occisus multis opprobriis, flagellis, clavis, lancea, cruce, ac morte hanc sibi gloriam comparavit: & honor, ac majestas quae tanto sterit sanguine, atque sudore, in magna aestimatione, pretioque habebatur: & Dominus ideo maxime gaudet, magnis acclamationibus sublimari. Glossa ordinaria. Quanto plures, tanto major attestatio, & majus gaudium.

Andreas, Aretas, Primasius, Ansbertus.

In magno pretio est id, quod sanguine ac labore comparatur.

Glossa.

QUESTIO II.

Quare Dominus mare transfretavit in naviculam ascendendo?

CHRISTUS Dominus sua divina potestate poterat transire de vna ripa in aliam sine ulla navi, deambulando super aquas, ut alibi fecit Matth. 14. num. 25. & Ioan. 6. num. 19. Inquirimus ergo: Cur in praesenti calu navicula vitur ad transfretandum?

Respondet primò D. Chrysostomus homil. 30. Cum posset, ait, pede transire, navigio consensu trajecit: non enim semper signa facere volebat, ne humanitatis suae mysterio derogaret. Erant in Christo Domino duae naturae, divina, & humana, de utraque Haeretici dubitarunt: de divina Arriani, de humana Manichaei, asserentes, non verum corpus, sed phantasticum assumpisse. Opus ergo erat, ut non semper se proderet divina, quia homo alius non crederetur: ac proinde si multoties signa edidit divinæ naturæ; tamen humanam ostendere debuit. Et ita saepe Christus abscondebatur suam potestatem, ut carnis veræ manifestaret infirmitatem; atque ita frequenter se infirmis hominibus conformabat. Unde post resurrectionem comedit, & bibit, non egenus, ut veritatem corporis ostenderet. Luc. 24. num. 42.

Secundò, D. Petrus Chrysologus sermon. 50. Nonne ipse est, ait, qui fugatis fluctibus maris profunda nudavit, ut Israheliticus populus inter studeas undas seculo vestigio, velut montium concava pertransiret? Exod. 14. num. 20. Nonne hic est, qui Petri pedibus marinos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis gressibus solidum pra-

Christus occultabat divinitatem, ut se hominem ostenderet.

10. Chrysol.

beret obsequium. Matth. 14. num. 25. Ascendit Iesus in naviculam, & transfretavit. Et quid mirum, fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, suas nobis conferre virtutes, humanae quare, prestare divina. Virtute Dei Israel seculo vestigio per mare transivit, & Petrus deambulavit super aquas. At ipse Dominus suscipitur. Coelestis medicus advenit, ut nostras infirmitates susciperet, utque sua nobis dona conferret. E contra verò terreni Reges proprias miseras, ac necessitates in subditorum juga convertunt, & eorum bona sibi arripiunt, atque usurpant.

Tertio, Abulensis quæst. 2. Christus Dominus omnia prudentissime agebat; & miracula non nisi apparente aliqua, & multum rationabili causa faciebat. Cum autem in litore esset navicula illa, non erat rationabilis causa ad trajiciendum deambulando super aquas. Non est autem recurrendum ad miraculum, nisi urgente necessitate. Vide supra cap. 7. num. 8. 19. & 40. & cap. 24. Si verò Christus Dominus al quando super mare ambulavit, hoc ex magna ratione factum est: & quia tunc in promptu non erat navis in litore, & discipulis in periculo laborantibus signum divinitatis suae dedit, ut eos maxime firmaret in fide. Et Petrum rogantem fecit ambulare super aquas, ne alij timerent, & ne, si hoc non concederet, Iesus impotens videretur. Hic autem non erat rationabilis causa hoc praestandi, cum navicula esset in litore. Et praeterea ne discipuli neophyti, & imperfecti gloriantur, quod jam supra aquas ambulabant, sicut illi, qui dixerunt: Domine, etiam Damonia subjiciuntur nobis in nomine tuo, Luc. 10. num. 17.

Inter cæteras qualitates, quas Paulus in Episcopo requirit, sic ait 1. Timoth. 3. num. 6. Non neophytem, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli. Maxime expendenda est ratio, ob quam Apollolus requirit, ut Episcopus non sit recenter conversus, & adulescens in fide. Ne in superbiam elatus; nam qui heri se vidit inter seculares, & modò se videt in ordine Ecclesiastico, extra se rapitur superbia. D. Ambrosius ibi. Verum est, quod rudis in fide, solet extollit superbia, maxime si accipiat ordinem. Novitate enim, & potestate instatur, a virans se praeceteris dignorem. Videns enim primo atheniensi civitatis collatum in se honorem, putat non magis ad suum, sed ad aliorum profectum se esse vocatum, quasi beneficium religioni det magis, quam accipiebat ab ea.

Audiens Elisæus demortuum filium Sunamitidis, mandat Giezi puerum suum, ut celerato cursu pergat: Tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si saluaverit quispiam, non respondeas illi. Et ponas baculum meum super faciem pueri, 4. Reg. 4. num. 29. Pergit Giezi, ponit baculum; & tamen puer non revixit. Quomodo tantum Prophetæ mandatum suo frustratur effectu? Maxime ab Auctoribus requiritur. Respondet Rabbi Salomon apud Lyranum, quod hoc fuit propter demerium Giezi, qui non servavit præceptum Elisæi; sed occurrentibus sibi hominibus adstanter dicebat, se missum ad suscitandum puerum. Elisæus tactus pergens per viam, humiliter de se iudicans, puerum meruit resuscitare. At Giezi adulescens

Christus nostras infirmitates suscipit, & suas nobis donat.

Ad miraculum non nisi urgente necessitate recurrendum.

Neophyti ad magnum dignitates non sunt vocandi, ne in superbia gloriantur.

Ambrosius in dignitate, se non putat, se non recipere beneficium, sed praestare obsequium.

13.

Quod iam lescens, & tenet in collegio prophetico, dum in se animadvertit commissionem factam demortuum vivificandi. Inaniter supra se rapitur, silentij impatiens, cunctis suam potestatem divulgat, & ideo vim commissionis deperdidit, & puerum non valuit è mortuis ad vitam evocare.

QUESTIO III.

Quare Evangelista non exprimat navium pro navigatione per solum?

14. **D**UM de Jonæ navigatione agitur, de navio persoluto fit mentio, Jonæ 1. num. 3. Cur etiam Evangelista non exprimit modum quem Dominus tenuit circa pretium naviculæ. Et quod huiusmodi tale hic intervenerit expressè asserit Divus Chrysologus serm. 50. sic inquit: Ut brevissimè lacus transitu sub mercede nautica transfretaret. Et facile etiam dici potest, quod illa navicula erat alicujus hominis devoti erga Christum, qui proinde gratis illud praestitit obsequium. Evangelistæ, modum quem Dominus in hoc negotio tenuit, non exprimit. Supponunt, quod sicut Christus, non deambulando super aquas, sed communes hominum metas servans, navicula usus est, ita etiam in mercede nautica ab usitata hominum via non recesserit.

15. **C**hrysostomus respondet D. Chrysostomus orat. in Paraceve apud Grethserum tom. 2. Navigavit, ait, Iesus mare, Deus navigio usus est, brevem ac temporariam militiam praebuit lignum. Ego verò accepi lignum æternum, quo pro æmo usus spiritualis nequitia fluctus dispello. Vide infinitam Jesu liberalitatem, quam in immensum excedit nostra obsequia. Et ideo Evangelista non exprimit exiguum mercedem, quam Dominus pro illa navigatione persolvit? quia aliam multo majorem, ac supra omnem nostram considerationem, ac spem dedit. Jesus à nobis accepit in obsequium breve naviculæ lignum, quo transfretavit. Ipse autem nobis praestitit sanctæ Crucis lignum salutiferum, quo omnes nequitias, atque omne malum superamus; adversariorum insidias profligamus, ac tandem per ipsum in caelestem patriam, ac beatitudinem transfretamus.

16. **E**x Dei mandato, erecto altari, obtulit Abrahamus Deo sacrificium ex una vacca, capra, arietate, turtore, & columba. Et statim subdit sacer textus Genes. 15. num. 18. In illa die pepigit Dominus foedus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hac à fluvio Euphratim usque ad fluvium magnum Euphratem. Caneos, & Cereanos, Cedmonios, & Eibanos, & Pherezanos. Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Gergesios & Jebusios. Cur Dominus modo Abrahamo promittit tam latam & amplam terram, quæ lacte, & melle fluebat, quæ multos populos, & regna sub se continebat ut notant D. August. lib. 16. de civitate Dei, c. 24. Abulensis, Caietanus, Lypomanus, & alij. Et ex ipsa littera textus patet, imò tibi notandum propono, quod decem nationum regna pollicitus est Deus, ut numeranti patebit. Abrahamus in obsequium Dei erexit altare, ex parvis lapidibus extructum; & in eo quinque obtulit victimas: &

Christi liberalitas in infinitum excedit nostra obsequia.

August. Abulensis, Caietanus, Lypomanus.

Dominus tam magnifica liberalitate hoc recepserat, ut pro uno altari amplam, vastam, & pinguem ei terram concesserit; & pro quinque victimis decem regna, decemque principatus distribuerit. Quæ enim poterit esse æqualis liberalitas ita excedens omnium vota, ut pro una columba duo regna, pro unoquoque turtore duos principatus largiatur. Huc revoco verba Chrysost. Chrysost. hom. 63. in Genes. ubi sic ait: Deus liberalitate sua nostras petitiones, nostraque officia transcendit. Vide supra c. 17. n. 48. 49. & 50. & 1. 1. lib. 3. cap. 2. num. 5.

17. **E**t auditum est, quod in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet, neque ad januam, & loquebatur eis verbum. Et veniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum, illi præ turba, nudaverunt tectum, ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.

VERSIONES.

Syracus n. 4. Cumque non possent ad eum accedere propter turbam, conscenderunt tectum; ac deiecerunt tabulatum loci, in quo erat ieschua, demiseruntque grabatum. Et cum non possent appropinquare illi præ turba, Submiserunt vilem lectulum. In quo paralyticus decumbebat.

Pagninus, Caietanus.

Radix Græca.

Varablus.

ALTER TEXTUS.

17. **V**enerunt ex omni castello Galilææ, & Iudææ & Ierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lectulo hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

Ibid.